DISPUTATIO PUBLICA
DE
INJURIIS,

Quam

DEO TER OPT. MAX. feliciter adjuvante,
ſub præſidio

*VIRI AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI
atq; Excellentiſſimi*

**Dn. ERASMI UNGE-
PAUERI, V.I.D. celeberri-
mi,** Profeſſoris hujus Academiæ Publici, Con-
ſiliarii Saxonici, Curiæ Provincialis, & Scabinatûs
Adſeſſoris Spectatiſſimi, Patroni, Fautoris
& Præceptoris ſui multis nomini-
bus ſuſpiciendi,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

In Auditorio JCtorum

Pro ingenii viribus defendere conabitur

Ad diem April.

ADAMUS Staden NORIMB.

JENÆ

TYPIS ERNESTI STEINMANNI

ANNO CIↃ IↃ CXXXVI.

THESIS. I.

INjuriarum materia, quam bono cum Deo placidæ diſquiſitioni ſubjicere animus nobis eſt, in quinque membra haud incommodè dividi poterit, quorum. 1. concernit injuriæ definitionem, 2. Diviſionem ejusdem. 3. Erit de perſonis, quæ teneantur vel agere poſſunt actione injuriarum. 4. Tractat de injuriarum pœnis. 5. & ultimum de modis, quibus tollitur injuria.

II.

Definitionem quod attinet, non poteſt illa confici, niſi Logicorum præceptorum memores à multiplici ſuá ſignificatione liberemus definitum. Sumitur autem Vocabulum Injuriæ in Jure noſtro vel generaliter, pro omni eo, quod contra Jus fit: vel ſpecialiter, & quidem 1. pro damno culpâ dato, ut *in L. Aquil.* 2. pro iniquitate ſeu injuſtitiâ Judicis: & 3. denique pro contumeliâ, quæ à contemnendo dicta eſt. *pr. J. & l. 1. pr. ff. h. t.*

III.

In quâ ultima ſignificatione definimus Injuriam, delictum, dolo malo in contumeliam alterius admiſſum.

IV.

De genere hujus definitionis dubium eſſe non poteſt, quòd ſit DELICTUM, & quidem DOLO MALO ADMISSUM, quia ſine dolo & animo Injuriandi Injuria non committitur. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* Qui animus ex quolibet verbo aut facto injurioſo præſumitur, donec probetur contrarium. *l 5. C. de Injur.* Differentia deſumitur ab objecto & fine. Objectum eſt in vocabulo ALTERIUS, quoniam atteſtante Ariſtotele *l. 5. Eth. c. 10.* nullus ſibi ipſi facit injuriam; Per hanc vocem autem intelligimus hominem liberum, quia ſervis nulla injuria fieri videtur. *§. 3. pr. J. h. t.* Finis eſt CONTUMELIA. Nam ſine affectu contemnendi injuriam committi non poſſe, ex jam dictis patet.

V.

Dividitur autem Injuria in Verbalem & Realem *§. 1. J. de injur. & l. 1. §. 1. eod tit.*

VI.

Verbalis iterum vel linguâ fit, vel ſcripto. Illa uno nomine convicium appellatur, Græcis ὕβρις, Germanis, Läſterung/Schändung/Spott/Schmähung/Schimpff/& ſim. Hæc, vel in ſpecie ſcripto comprehenſam Injuriam, vel in Famoſum Libellum diſpeſcitur.

VII.

Convicium eſt, cùm voce contumelioſa alicui objiciuntur. Veluti ſi quis aliquem delatorem, furem, nebulonem, adulterum, debitorem, qui debitor non eſt, appellat. Aut ſi quis dicat alicui, mentiris, calumniaris, &c. Ita, ut, ſi vera hæc eſſent, neceſſe ſit aliquem flagitioſum aut alioqui nefandum exiſtimari.

VIII.

Niſi tamen hoc faciat, laceſſitus, ad exiſtimationem ſuam defendendam, tunc enim ignoſcendum eſt ei, qui voluit ſe ulciſci provocatus *l. 14. §. 6. inf. ff. de bon. libert.* *Clariſſ. Dn. Wilh. Ludwell. D. Patronus & Preceptor meus ſummè colendus in prælect. ſuis privatis §. 1. J. de injur.*

IX.

Injuria ſcripto comprehenſa in ſpecie definiri ſolet, quòd fiat contumeliæ causâ absque infamiæ notâ. Puta, cùm quis ſpurius, luſcus, claudus, &c. ludibrii causâ in ſcripto nominatur.

X.

Famoſus Libellus, â Dd. vocatus Pasquillus, eò quòd Romæ ad Truncam Pasquini cujusdam ſtatuam ejusmodi famoſæ chartæ olim affigi ſolebant, definitur, quo alicui tecto nomine crimen aliquod, cui pœna capitalis vel corporis afflictiva propoſita eſt, impingitur. *l. un. C. de Fam. libell. & ibi gl. & Comm. Dd.*

XI. Sph

XI.

Sub Famoſis libellis intellige Carmina, Cantica, Pſalteria (ſc. literis mandata) hiſtorias, Comœdias, ſatyras, & cæteras ejusdem generis injurioſas Scripturas. *§. 1. J. & l. 5. §. 10. ff. h. t. Paulus lib. 5 ſent. tit. 4. Ampliſſ. & celeberrimus Dn. D. Cunr. Rittershuſius piæ recordationis in Comm. novo. J. d. § 1. in f. h. t.*

XII.

Realis Injuria eſt, quæ facto geſtuque illicito & ignominioſo corpori alterius vel extra illud infertur, in ipſius contemptum, & ignominiam. E. g. Si quis aliquem pulſat, verberat, aut alio aliquo facto ignominioſo afficit. *l. 1. §. 2. l. 7. §. ult. l. 8. l. 9 l 15. §. 23. & 38. Cum ſim. ff. h. t. arg. l. 33. §. 6. C. de ep. & Cler. Auth. habita C. ne filius pro patr. l. 37. in pr. ff. ad Leg. Aquil. Vult. ad Inſt. §. 1. h. t. Excellentiſſimus Dn. præſes D. Fautor & præceptor meus omni obſervantiæ & honoris cultu proſequendus in Diſp. quâdam de injur. th. 15.*

XIII.

Ex quâ Realis Injuriæ definitione manifeſtum eſt, illam vel in corpus fieri vel extra corpus. Quæ in corpus fit, iterum vel in ſuum & proprium eſt, vel in alienum, puta pulſando, verberãdo liberos, uxores, &c. Et ad hanc, quæ in corpus infertur, Injuriam referri volumus, quando unus alteri barbam aut crines expilâſſe dicitur *cap. 1. in pr. verſ. Si quis aliquem. De pac. ten. ejus viol. ubi Bald. & Alvarot.* Item, ſi quis alicui oſcula figat luxurioſa in viâ, *Menoch. lib. 2. arb. jud. Caſ 287.* Virilia contrectet, corpusque denudet. Si videlicet conſuetudo ita non fert, & non dolus ac malus petulansque animus abeſt: Aliàs ſecus. *arg. pr. J. quib. mod. tut. fin. l. 32. in pr. ff. de min. t. tit. ff. de inſpic. vent. ubi Dd.* Landtr. *lib. 1. art. 42. Ampliſſimus Dn. Præſes in Coroll. 7. diſp. 5 prim.*

XIV.

Extra corpus Realis Injuria fit, ſi quis Habitu deſpicatui habetur. E. g. quando tempore Bacchanaliorum contumeliæ causâ aliquis ejusmodi veſtitu obambulat, cujusmodi Theologorum aut Senatorum ordo uti conſuevit. Gestu, cùm auri-

 cularem

cularem indicemque digitos præ cæteris alicui oſtenderim, linguam proſeruerim, aut Simili actu: veluti ſi quis matremfamilias aut prætextatum prætextatamvè affectatus fuerit, Sive cujus pudicitia attentata eſſe dicetur. *§ 1. J. h. t.*

XV.

Quæritur hîc, utrum ille teneatur actione Injuriarum, qui meretricem attentavit, quam ex Phyſiognomiâ talem eſſe intellexit? Quod videtur affirmandum.

XVI.

Aſtronomum autem, qui conſultus, furem aliquem eſſe, reſpondit, non teneri actione hâc injuriarum, conſtat ex *Ulp. in l. 15. §. 13. ff. h. t.*

XVII.

Porrò Injuria dividitur in Atrocem & levem, ſive, ut Ariſtoteles appellat, Majorem & Minorem, teſte *Joach. Steph. Pol. demonſt. cap. 19. n. 58. 59. l. 7. § 7. l. 31. ff. h. t. l. 1. § 5. ff. de carb. edict.* Quæ diviſio ex Perſonæ, Loci, Facti, aliisque circumſtantiis proficiſcitur. *l. 7. § ult. l. 8. l. 9. l. 15. § 28. l. 17. § 3. l. ult. ff. eod. junctâ l. 16. ff. de pœn. Schn. §. 9. & Cl. Dn. Dinnerus p. m. in Diſp. quâdam de Injur. Th. 20.*

XVIII.

Perſonæ intuitu Injuria atrox redditur, quùm Magiſtratum, Epiſcopum, Abbatem, Magnificum Univerſitatis Rectorem, Profeſſorem, Doctorem, Senatorem, aut alium magnâ autoritate pollentem virum humilis perſona offendit. Seu, quùm parens à filio, patronus à Liberto injuriâ afficitur. *§. 9. J. h. t.*

XIX.

Locus Injuriam atrocem efficit vel Publicus, puta ſi quis in theatro, foro, læſus fuerit; Vel ſacer, veluti in templo; vel denique ſi quis in facie aut oculo (quo etiam unico nihil eſt charius Polyphemo teſte apud Theocritum *Idyll. XI.*) percuſſus fuerit *d. § 9. J. h. t.*

XX.

Facti ratione atrox dicitur Injuria multis modis. Si alicui

domus

domus ſive propria ſive conducta vi introeatur. *d. §. 9. J. h. t. l. 5. §. 2. l. 2. ff. eod.* bona arreſtentur vel occupentur. *l. 13. in pr. l. 15. §. 31. l. 24. ff. h. t.* Veſtes lacerentur. *l. 9. pr. ff. eod.* lis iniquè moveatur. *d. l. 13. ff. eod.* aut fuſtibus quis cæſus aut vulneratus fuerit. *d. §. 9. J. eod.*

XXI.

Nunc ad Perſonas transeundum eſt. Et primò quidem ad eas, quæ Injuriarum tenentur. Tenentur autem, quibuscunque voluntas eſt & propoſitum injuriandi. Hæc enim duo maleficia diſtinguere, vulgata JCtorum regula eſt. Per *l. 53. ff. de furt. Cl. Dn. D. Cunr. Rittersh. §. 2. J. h. t.*

XXII.

Unde cuivis facilè eſt videre, non teneri illum, qui per jocum maledictis inceſſit aliquem, neque eum, qui ex improvisò, multò minùs qui docendi aut corrigendi gratiâ vapulat. Docendi: Ut, ſi puer traditus Præceptori inſtituendus manum ferulæ ſubmittere cogitur. *arg. l. 13. §. 4. ff. loc. l. 5. §. ult. ff. ad L. Aquil.*

XXIII.

Corrigendi: Si maritus uxorem modicè caſtigat. *N. 117. c. 14. Schn. Ampl. Dn. Rittersh. p. m. & CL. Dn. D. Dinnerus præc. meus J. h. t.* Quemadmodum etiam parenti filium, Patrono Libertum, Sutori puerum diſcentem ex juſtis cauſis modicè caſtigare licitum eſt. *d. l. 5. §. ult. ff. ad Leg. Aquil.*

XXIV.

Injuriarum inſuper non tenentur bruta. Ea enim, cùm ſenſu careant, pauperiem potius quàm Injuriam feciſſe dicuntur. *tot. tit. J. Si quadr. paup. fec. dic.* Infantes, &, qui infantum legunt veſtigia, impuberes. Furioſi item, qui pari cum brutis ambulant paſſu.

XXV.

De ebrio verò quid dicendum? Quòd is teneatur injuriarum, ſi per Ebrietatem peccaverit, negamus. Diſtinguendum tamen eſt inter Ebrietatem enormem, hoc eſt, eam, quæ rationis omne aufert dominium, & modicam, quam rectiùs fortè Germano potorum uſi vocabulo appellabimus, einen

Rauſch.

Rauſch. Verumenimverò quamvis injuriam ceſſare heic aſſeramus, eum tamen non immunem culpæ, ideoque aliâ ratione apud Judicem conveniri, punirique poſſe affirmamus.

XXVI.

Quoniam etiam, experientiâ teſte, comprobatum eſt multos in ſomnum lapſos, de aliis maledicè contumelioſèque loqui, Quæritur: Num tales injuriarum conveniri poſſint? Et Neg. Modi ſoluti ſomno non approbârint ſomnia.

XXVII.

Secundò eas quod attinet perſonas, quæ agere Injuriarum poſſunt, ſciendum eſt, non tantùm dari has actiones ei, qui ipſe paſſus eſt injuriam, ſed & ei, qui per alios eſt paſſus. Puta I. Pater paſſus injuriam per Liberos, quos in poteſtate habet, Liberorum agit nomine. *§. 2. in pr. J. & l. 1. §. 3. ff. h. t.* Dicitur, PER LIBEROS, QUOS IN POTESTATE HABET, quia ſi filio emancipato injuria fiat, id ad exiſtimationem paternam ſpectare non videtur, quoniam jam à patre ſeparatus eſt, & propriam habet familiam. *l. 195. §. 2. ff. de V. S.* ideoque non pater, ſed filius ipſe injuriarum agere poteſt. *l. 17. §. 14. in f. ff. & §. 2. J. CL. Dn. D. Ludov. Præceptor meus h. t.*

XXVIII.

II. Maritus Uxoris nomine agit, ut & ſponſus ſponſæ nomine (quippe qui ſub marito in plerisque Juris caſibus comprehenditur. *arg. l. 4. ff. de fund. dot*) *§. 2. J. & l. 15. §. 24. ff. h. t.* Sed non vice verſâ Uxor pro marito, Sponſa pro ſponſo agere poteſt. Quia defendi uxores à Viris, non Viros ab uxoribus æquum eſt. *d. §. 2. in f. J. d. t.*

XXIX.

III. Si Nurui facta ſit Injuria, ejus nomine ſocer agere poteſt, quia nurus filiæ loco eſt, quemadmodum & gener filio comparatur. Requiritur autem, ut Vir ejus ſit adhuc in poteſtate parentis, quia aliàs de injuriâ nurûs conqueri nequit. *d. §. 2. J. d. t.*

XXX.

IV. Domino actio Injuriarum competit, ſi atroci injuriâ ſervus affectus fuerit. Quoniam enim ſervis per ſe nulla injuria

ria fieri intelligitur, eò quòd illorum Jure Civili nulla eſt dignitas, *l. 3. ff. de cap. min.* Quapropter Dominus injuriam in ſe redundare credens, injuriarum actione ſervi nomine experitur. *§ 3. J. h. t.* Ita tamen, ut, ſi concurrant in ſervo proprietarius & fructuarius, magis ad illum, quàm ad hũc injuriam ſpectare dicamus. Et ſi communi ſervo plurium facta ſit injuria, omnibus Dominis actionem competere, plusquàm manifeſtum eſt. Proportione tamen habitâ Dominii, ita, ut non pro eâ parte, quam quisque habet in ſervo, injuria æſtimetur, ſed ex perſonâ Dominorum. e. g. Servum communem habet Nobilis cum plebejo, & quamvis ille cum hoc æquales partes iniit, tamen, ſervo verberato atrociter, major injuria redundabit in Nobilem, quàm in Plebeium, ideoque etiam æſtimatio major erit. *§ 4. J. h. t.* Et tantum etiam de Perſonis, cùm quæ actione Injuriarum tenentur, tùm quæ agere poſſunt.

XXXI.

Reſtant Injuriarum pœnæ, quarum varia ſunt genera. Deſcendunt enim ex *L. XII. Tabb* aliæ, aliæ ex edicto prætoris, aliæ *ex L. Corn.* aliæ denique ex SCto.

XXXII.

Pœna, quæ *ex L. XII. Tabb.* infligebatur, hodie in uſu eſſe deſiit, ideò, quòd aut durior aut remiſſior videbatur. *Gell. 20. Noct. Att. 1.* Erat autem propter membrum ruptum talio, propter os fractum nummaria, quaſi in magnâ veterum paupertate. *§. 7. J. h. t.* Vide præter alios abundè hîc explicantem *Ampliſſ. Dn. D. C Rittersh. Acad. Altorphinæ quondam Prof. celeberr. in Dodecad. Claſ. 2. cap. 13. & Claſ. 3 part. 2. cap. 36.*

XXXIII.

Pœna à Prætoribus introducta adhuc frequentatur in judiciis. Eſtque, cùm injuriam paſſis permittitur, eam æſtimare, ut judex vel *tanti* reum condemnet, vel minoris, pro ratione circumſtantiarum, quæ augent vel minuunt injuriam. *l. 16. ff. de pœn. d. §. 7. J. h. t.*

XXXIV.

Pœna ex L. Corneliâ irrogatur tribus caſibus, ſi quis pul-

ſatum, verberatum, domumque ſuam vi introitam eſſe dicat. *§.8.J. l.5 pr.ff.h.t.* Et eſt exilii, metalli aut operis publici, quamvis quidam exiſtiment etiam ad mortem extendi poſſe. Sæpius dictus *Cl.Dn.Rittersh.p.m.ad d.§.8.J.h.t.*

XXXV.

Denique ex SCto authores puniuntur famoſi libelli, ut ſint inteſtabiles. *d.l.5.§.9.ff.h.t.* Verùm quùm hoc crimen nimis inviſum eſſet Impp. Valentiano & Valenti, ſancitum eſt, ut hodie reus ejusdem capitali ſupplicio ſubjiciatur. *l.un.C.de fam. lib.*

XXXVI.

Quam tamen l. ita acceptam volumus, ut tum demum capitalis pœna obtineat, ſi in libello crimen quoque capitale objectum fuerit. Quod probant *Dd.Comm.& Carol.V.in conſt. crim. art. 110. ibi:* Welcher jemand durch Schmachſchrifft/ &c. ibid. Laſter vnd Vbel zumiſt/ wo die mit Warheit erfunden werden/ daß der geſchmächt an ſeinem Leib / Leben oder Ehren / peinlich geſtrafft werden möcht/ derſelbig boßhafftig Läſterer/ ſol nach Erfindung ſolcher Vbelthat/ als die Recht ſagen/ mit der Pein / in welche er den Vnſchuldigen geſchmächten/ durch ſeine böſe/ vnwarhafftige Laſterſchrifft hat bringen wollen/ geſtrafft werden.

XXXVII.

Cæterùm ex his pœnis ordinaria una eſt prætoria; Cæteræ extraordinariæ dicuntur.

XXXVIII.

Injurias tollendi modos præcipuè conſtituimus quatuor. Diſſimulationem, Conventionem partium, Tempus & mortem.

XXXIX.

Diſſimulatione tollitur, puta ſi quis verbis aut facto ilicò non ſit conteſtatus, ſe ad animum revocare injuriam. Unde illa ſemel remiſſa, nequit reſuſcitari per pœnitentiam. *§. ult. J. l.11.§.1.ff.h.t.* Non verò diſſimulat, qui, ad animum ſtatim revocata injuriâ, poſteà ſalutat apud epulas injuriantem, ibique cum eo bibit, & comedit. Rancorem enim duntaxat remiſiſſe,

& auli-

& aulicorum more pocula ab injuriante accepiſſe illum dixeris. Auff Hoffrecht. *Gail. in tract. de arreſt. Imperii. C. 14. n. 9. Dn. Harpp. ad* [illegible] *J. h. t.*

XL.

Diſſimulationi accenſemus, quoties laceſſitus injurianti dextram dedit, amicè ſcripſit aut ſalutavit. Salutatio enim amoris ſignum eſt, quemadmodum omiſſio ſalutationis conſuetæ inimicitiarum indicium. *gl. in c. cùm Adrjanus 2y. diſt. 63.*

XLI.

Conventione partium tollitur Injuria, veluti SATISFACTIONE, cùm nimirum ſolvitur, quod injuriæ nomine peti poterat. *l. 17. §. 6. ff. h. t.* TRANSACTIONE *l. 11. §. 1 ff. eod.* Pacto. *l. 27. §. 2. de pact.* JUREJURANDO, *l. 11. §. 1. ff. h. t. l. 4. §. 5. ff. de his qui not. inf.*

XLII.

Tempore. Illud eſt annus utilis in actione Prætoriâ, quemadmodum Prætoris quoque jurisdictio annua eſt. Quæ verò ex L. Corn. & SCto deſcendit, perpetua eſt. *arg. §. 1. J. de perp. & temp. act.*

XLIII.

Morte denique diſſolvitur injuriarum actio tùm Injuriantis, tùm ejus, qui paſſus eſt injuriam. Non enim datur heredi, neque in heredem, quoniam pœnalis eſt. *l. 13. pr. ff. h. t.* niſi lis ſit conteſtata. *l. 26. l. 5. ff. de O. & A. l. 164. ff. de R. I.*

Corollaria.

I.

In judicio excipiens contra teſtes, quòd ſint infames, perjuri, &c. tenetur actione injuriarum, niſi exceptionem ſuam probaverit.

 II. Si

II.

Si curaverit quis convicium alicui fieri, non teneatur, ſi factum non ſit.

III.

Animum injuriandi adfuiſſe non ſemper actor probare debet.

IV.

Fœmina, etiam de jure Civili Romano, propriè loquendo eſt homo.

Præſtantisſimo atque Eruditisſimo Dn. Reſpondenti, Amico atque Conterraneo dilecto.

QVæ vigili ſtudio, Doctorū ſcripta revolvens,
Hauſiſti, prodis non ſine laude tua.
Te vigor ingenii vocat ad ſublimia ſacri
Juris, Tu Themidis ſubditus eſſe cupis:
Declaras, quid ſit vobis Injuria, *ſcripto*
De qua non rarò magna querela venit.
Sic ſic nempe juvat ſacras percurrere leges,
Et quicquid ſolidi Juſtinianus habet.

Hic

Hic inju[illegible]us erit, Tibi qui non dicere vellet
Factum laudandum! *quod facis arte potens.*
Addo meum votum depromtum pectore puro:
Huic calido ſtudio juſte Jehova fave!

gratulab.

M. Johannes Majerus Eubacenſis Noricus.

Adamus Staden Noricus.
κατ' ἀνάγραμμα
Curis ſuda, ne ſta damno.

ET tu divini conſcendis pulpita Baldi
Celſa, juvat doctis teque ſtitiſſe viris!
Factum laudo bonum, tantis miror que procellis
Fluctibus & tantis te vigilare libris,
Curis ſic variis ſacra jura revolvere perge,
Suda, te certè præmia digna manent.
In medio *ne ſta* curſu, acri neve labori
Damno cede tuo; non tibi meta procul.

Animo πατρειτικῷ ſuo Adamo fac.

M. Johan. Henricus Blendinger Norimb.

Ad Præſtantiſsimum, Do-ctisſimum, Dn. Reſpond. Amicum, Fautorem, Commenſalem dilectiſſimum.

Ode Gratulatoria.

Plùs fauſto biberent gutture muſicæ
Rivorùm ſegetes limpida pocula;
Aſt exhauſta calore
Phœbi prata fatebimur:
Non ſperes igitur ſplendida, Apollinis
Obfuſcata tui lumine, carmina,
Quæ raucus tibi cinnus
Sutoris citharâ tremit.
Te gnatum canerem Pallade filium;
Per ſummi capitis vulneris editus
Calles, ſive per imas
Naturæ fueris vias:
Te doctis reſono barbite luderem
Eductum fidibus, Lesbiæ amoribus,
Dulcis Stade, puellæ
Sapphus progenies tuæ.
Tu jungis Themidi dona Polymniæ
Tu Minoa canis, juſtitiæ fides
Ducis, Rege tribunal
Gaudet, quo tua barbitos;

Felici